Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Paul Christian Henrici

Oratio Sollemnis Qva Avgustissima Domvs Oldenbvrgicae Sacris Saecvlaribvs Avspicatissimo Ritv ... Celebratis In Splendido Avditorvm Consessv A. D. IIII. Cal. Nov. MDCCXXXXVIIII. : Pie Applavsit Nvmini Maiestatisqve Regiae Devotissimvm Christianevm Academicvm

Altonae: Ex Officina Bvrmesteriana, [1749?]

https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1859941990

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1859941990/phys_0001
DFG

Rf– 6560.

~~Ri–96.~~

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1859941990/phys_0002
DFG

ORATIO SOLEMNIS

QVA

AVGVSTISSIMAE

DOMVS

OLDENBVRGICAE

SACRIS

SAECVLARIBVS

AVSPICATISSIMO RITV

PVBLICE PRIVATIMQVE CELEBRATIS

IN

SPLENDIDO AVDITORVM CONSESSV

A. D. III. CAL. NOV. [illegible]

[illegible]

NVMINI ALMESTATIQVE REGIAE

HEVDTISSIMVM

CHRISTIANEVM ACADEMICVM

INTERPRETE

PAVLLO CHRISTIANO HEVRICO

[illegible]

ALTONAE

[illegible]

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1859941990/phys_0003
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1859941990/phys_0004
DFG

ORATIO SOLLEMNIS

QVA

AVGVSTISSIMAE

DOMVS

OLDENBVRGICAE

SACRIS

SAECVLARIBVS

AVSPICATISSIMO RITV

PVBLICE PRIVATIMQVE CELEBRATIS

IN

SPLENDIDO AVDITORVM CONSESSV

A. D. IIII. CAL. NOV. cIↃ IↃ c c xxxxviiii.

PIE APPLAVSIT

NVMINI MAIESTATIQVE REGIAE

DEVOTISSIMVM

CHRISTIANEVM ACADEMICVM

INTERPRETE

PAVLLO CHRISTIANO HENRICI

ELOQ. AC POES. PROF.

ALTONAE,

EX OFFICINA BVRMESTERIANA.

Ai — 96

Universitäts Bibliothek Rostock

https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1859941990/phys_0005

DFG

Ex
Bibliotheca
Academiae
Rostochiensis

TIT.

Si ea est gaudii laetitiaeque vis atque indoles, vt, quo grauiora proponuntur eorum, quae sensum aliquem felicitatis efficiunt, argumenta; eo maiori mens nostra impetu ad gaudendum laetandumque feratur, eoque luculentioribus signis expressam prodat gestientis animi commotionem: minime dubitandum est, quin sacra haec saecularia tanto vehementius vniuersum, qua patet, orbem Danicum ad insolitae cuiusdam laetitiae significationem concitent; quanto reliquos festos dies eximiae amplissimaeque felicitatis celebratione superare videntur. Atque haud scio, an hic ipse dies serenior nunc et ad laetitiam animi multo praestantior redierit, quam quidem olim visus est, quum, CHRISTIANO I. Rege appellato, mirificas longe lateque

diffusi gaudii testificationes excitaret prouocaretque. Multa, equidem fateor, tunc apparebant et haud vana bonorum indicia, quae perfundere hominum animos insignis cuiusdam gaudii sensu possent: sed ea tamen erant, quae coniecturis ex diuina Regis indole captis potius, quam explorata et vsu cognita rerum fide niterentur. Quo grauiores, quo illustriores habendae sunt quas praesens dies omnibus, quotquot Daniae, quotquot AVGVSTISSIMAE STIRPI cupiunt, laetandi adfert rationes. Neque enim spe tantum nixi in pulcherrimarum exspectationem rerum adducimur; sed ipsa publicae salutis, per egregia pacis bellique decora partae, perceptione, ipso laetissimae conditionis vsu adficimur. Non vnius nobis Principis praeclara in subiectos populos merita commemoranda sunt; sed numerosae tot CHRISTIANORVM, et FRIDERICORVM, in illa auspicata nominum vicissitudine, ad vnam regnorum salutem coniunctae conspirantesque virtutes recensendae. Non vnius hominum aetatis ornamenta enarramus; sed trium saeculorum, magna distinctorum publicae salutis varietate, commoda reuocamus in memoriam, atque ita reuocamus, vt ex praeteritis et anteactis futuri temporis imaginem repraesentemus, nouaque felicitatis auguria, tamquam laetitiae incitamenta, capiamus. Etenim quem in antiquis Romanorum Regibus admirantur nonnulli constitutum a diuina prouidentia ordinem, vt ii se Reges consequerentur, qui ad augendam rem romanam maxime essent idonei, eum

qui

qui in Daniae Regibus non animaduertat, haud ſane intelligo, cur non idem ſummi rerum moderatoris in condendis conſeruandisque imperiis prouidam negare curam omnino poſſit. Adeo ſe omni ex parte prodit, et ſui quaſi ſpecimen praebet ſapientiſſimi adminiſtratio Numinis! Adeo in conſtituendis informandisque Regibus noſtris ſuperioris naturae conſilium elucet!

Liceat mihi, AA. OO. OO. HH. ſuauiſſimo huic argumento aliquantiſper immorari, et eius, quam laudaui prouidentiae exempla nonnulla in medium proferre Vobis nota quidem, ſed frequenti tamen commemoratione digniſſima. Cuiusnam indolis Principem poſtulaſſe nobis videbitur ſalus Daniae tum, quum, repurgatis in Saxonia ſacris, magna ſpes affulgeret, ſacratiſſimum verbi diuini lumen ipſos arctoi orbis populos, quos ſuis iam radiis tentauiſſet, pleniſſima demum luce colluſtraturum; ſi remouendis, quae vim eius minuere videbantur, obſtaculis, ipſe Rex ſaluberrimi operis curam in ſe ſuſciperet? Nonne eum cogitatione informabimus publicae ſalutis praeſidem, qui ea mentis vi ac perſpicacia munitus ſit, qua opinionum vanaeque ſuperſtitionis commenta et vera Dei oracula internoſcere queat; ea in Deum pietate praeditus, quae impellat animum ad ſubeundos religionis cauſſa grauiſſimos et magno cum periculo coniunctos labores; ea denique morum ſanctitate conſpicuus, qua allicere alios ad ſui imitationem, et quod inſtitutum illis probari cuperet, eius ipſe praeclaram

et expreſſam praeferre formam videatur? Atque haec omnia, illae conſpirantes ad prouehendum diuini cultus negotium virtutes ei inerant Regi, cui doctrinae purioris firmamenta, cui templa, cui ritus ad praeſtantiſſimam rationem exactos, cui denique laetam qua adhuc vtitur, conditionem imputat ſacra res publica, CHRISTIANO III.

Quid FRIDERICVS? illum dico FRIDERICVM, qui ſingularis perpetuique formam imperii et ſibi primus, magno Daniae bono, vindicauit, et feliciſſime, conſtituta lege regia, ad poſteros iure hereditario transmiſit; quid igitur ille? qua magnitudine animi, difficillimis temporibus, quae vniuerſo regno exitium minabantur, et tulit fortunam, et, quantum fieri potuit, gubernauit! Qua conſtantia, diſtractos per inteſtinos motus procerumque impotentiam animos ad illud, quod vnum totius imperii ſalutem ſpondebat conſilium, collectos, arctiſſima coniunctione deuinxit! Qua moderatione et temperantia, in illa commutati imperii offenſione, beneuolentiam multitudinis principumque virorum voluntates ſibi conciliauit! Qui, niſi illo diuinarum virtutum praeſidio circumſeptus, aut omnino non ſuſcepiſſet tantam expediendi regni cauſſam, aut ſuſceptam ex ſententia perficere vix ſuſtinuiſſet.

Quam heic duobus in Regibus oſtendi indolem diuerſam, diuerſis muneribus, in quae tempora eorum inciderant, obeundis parem, illam quoque in reliquis, non ſine religioſa diuinae prouidentiae admiratione obſer-

obſeruaſſe atque intellexiſſe mihi videor. Quoties enim publicae ſalutis ratio ad bellum ſpectaret, quum vel vltro denuntiandum iuſtis de cauſis, vel illatum ab hoſte defendendum eſſet; toties illud Daniae contigiſſe apparet, vt Rege vteretur eo, qui innata quadam virtute bellica tam militis, quam imperatoris munere fortiſſime fungeretur, et vel non lacesſitus, modo id iuſtitia ſiuiſſet, vltro bellorum cauſſas conquiſiturus, ac de imperio magis, quam pro ſalute dimicaturus videretur. Rurſus vbi otioſa et vacua a bellis tempora ſtabiliendis Daniae opibus coniunctiora eſſent, quam inſigniter Regum ad pacem inclinatior animus publicum illud, ac vel ipſo nomine amabile, otium adiuuit, coluit, confirmauit! O felicem et Regibus ſuis florentem Daniam! o fortunatos Reges, quorum in hoc amplisſimo ad gloriam campo excurrere indoles cognoſcique potuit!

Tanta nos et tam praeclara diuinae prouidentiae, fortunam noſtram moderantis, munera intuentes non moueri, non adfici eximiae voluptatis ſenſu, non quaſi plenis gaudii laetitiaeque velis inuehi, id quidem mirificae foret, non dicam improbitatis, ſed impietatis, ſed mentis beneficiorum prorſus immemoris. At vero tantum abeſt, vt eiuſcemodi vitii vel leuiſſima ſuſpicio in quemquam cadat ciuium Daniae, vt clariſſimae potius propagati ex ipſa aula ſedeque regia in regna, regiones, ciuitates inſoliti gaudii ſignificationes erumpere animaduertantur. Itaque et heſterna die religioſis templa vocibus perſonuerunt, quum ſuſ-

 cepta

cepta a maioribus noſtris vota ſolueremus, nouaque nuncuparemus, olim a nepotibus, quod pie precamur, ſimili contentione ſoluenda: et hodie, excitatis iterum ad hilaritatem animis, plena videmus omnia laetiſſima congratulatione. Plaudit, et in feſtiuo laetitiae apparatu exſultat ciuitas. Sollemni munere perfunguntur Muſae Chriſtianeae: quae etiam, ne minus ſolidum vidéri gaudium poſſit, craſtina luce officioſas repetent ſupplicationes. Iungitur vbique publicis gaudii demonſtrationibus priuata pietas: quin, diebus inter fauſtas acclamationum et concentuum hilaritates peractis, noctes ipſae, feſtiuo lumine die propemodum clariores, exoptatam laetitiae moram producunt.

Et profecto aequum eſt noſtroque omnium officio conſentaneum, quum ſummi Numinis benignitas adeo liberaliter nobiſcum agat, vt beneficiis beneficia addat, nos laetitiae laetitiam coniungentes, quo in tot gaudendi cauſſas ſenſu atque adfectu feramur, palam teſtari, et, conquiſitis quaſi indiciis, grati animi documenta edere. Vixdum ſaecularis caerimoniae apparatus deſignare atque inſtruere coeperamus, quum nouae iam felicitatis alii ſuper alios nuntii Hafnia ad nos perferrentur, qui ad maiorem animos exſpectationem erigerent. Agi de Regia Principe LVDOVICA in matrimonium collocanda Duci Saxoniae, vero Heroum ſanguini. Adueniſſe iam ſponſum ſereniſſimum ERNESTVM FRIDERICVM CAROLVM. Peracta eſſe auſpicatiſſima nuptiarum ſollemnia, magnam-

gnamque ſpem eſſe, fore, vt heic coram venerari poſſemus AVGVSTOS CONIVGES, noſtrisque eos acclamationibus ac votis proſequi. Quem dicamus in animis omnium tacitae voluptatis ſenſum exſtitiſſe, quum illam tam feliciter, tam laete effloreſcentis imaginem ſtirpis conciperent? Sed quantum eſt hoc, quod ferme ſub ipſa anni huius initia amabile illud diuinae in Domum Oldenburgicam beneficentiae pignus accepimus, natum in ſpem regnorum et virtutum Principem CHRISTIANVM! Num manifeſtiori indicio Dei immortalis in Daniam voluntas declarari potuit? Num grauiori eam futurae proſperitatis argumento optabimus confirmatam? Percenſemus venerabundo cultu auguſtam Regum ſeriem: addimus illis vel optimo praeferendum FRIDERICVM V. et, nouo hoc beneficio aucti, nominatim iam adiungimus, annue Deus augurio! ſerae olim poſteritatis futurum praeſidium.

Hoc tam comparato ad gaudia tempore vellem equidem orator adeſſet, ea eloquentiae vi praeditus, qua, non dicam augere ſumma Dei in nos beneficia poſſet, ſed enarrare omnia dilucide, et quadam ornatae orationis copia ante oculos proponere. Mallem etiam, mihi illud contingeret, vt, quemadmodum teſtis atque ſpectator ego ſum tam praeclari muneris, ita etiam non infacundus eius laudator fuiſſe exiſtimarer. Quam laudem, quum in hac mea in dicendo tenuitate me haud ſperem conſecuturum: tamen, quantum in me erit, non committam, vt maiori alius,

vel pietatis vel deuotae mentis ſtudio dicturus fuiſſe credatur.

De Felicitate Daniae per Auguſtiſſimos Reges Oldenburgicos aucta, verba facturus, AA. OO. OO. HH. non eam, per ſingulas eius partes eundo, pertractabo vniuerſam: neque enim mearum illud virium eſſet, neque adeo neceſſarium videtur in celebri hoc et ornatiſſimo conſeſſu virorum, quos multo adcuratius ea omnia tenere ſcio, quam quidem a me poſſent enarrari. Sequar ego potius illud conſilium, vt, praetermiſſis militaris gloriae ornamentis, ex infinita pacati quietique imperii laude ſumma tantum et praecipua capita adferam, a quibus reliqua bona, veluti a fontibus ſuis, profecta, latiſſime patuerunt. In ipſo autem virtutum ordinisque delectu vix melius verſari poſſe videor, quam ſi ea progrediar via, quam illi laetitiae apparatus publici, quos inſtruximus, quibus interſumus, luculenta quadam ratione oſtendunt. Ecquod enim felicitatis genus ibi deeſſe credamus, vbi templa Dei immortalis et ſummi Numinis cultus debitam auctoritatem et religionem obtinent: vbi fora et curiae optimis inſtitutis iuſtiſſimis legibus temperata, publicae ſaluti firmamenta et praeſidia praebent: vbi denique et ſua Muſis delubra conſecrata ſunt, et illud in laude ponitur ſuperare ceteros ingenii atque litterarum gloria, iisque artibus excellere, a quibus elegantior victus cultusque ratio deriuatur?

Diuini cultus Numinis pietatisque ſenſus, quo vel ſolo ſumma felicitas continetur, iam tum in Regi-

bus

bus noſtris enituit, quum non ſine adiuncta labe aliqua, quam ei temporis vitia adſpergebant, conſpici in quoquam amabilis eius facies poſſet. Nolo equidem huc, ex CHRISTIANI I. procreatoris generis auguſtiſſimi aetate, nobile illud iter Romanum referre, quo tamen Rex, pro more eius ſaeculi, ſatis pulchram pietatis ſignificationem edere viſus eſt. Maiora enim ſunt et grauiora argumenta, quae quanto ille rem ſacram ſtudio adiutam voluerit, quanta ipſe diligentia adiuuerit, clariſſime euincunt. Citentur hic potius teſtes commemorabiles eius ad Pontificem Calixtum litterae, quibus mores pontificios a ſanctiſſimo Seruatoris exemplo et praeceptis adcurate grauiterque ſeiungit. Quid? quod eius potiſſimum cura effectum eſt, vt Norwegiae populi, qui intoleranda Antiſtitum ſuperbia vexati, longius etiam diſcedere a Romano coetu cogitabant, continerentur in ritu antiquo vsque ad illud tempus, quo publica ſacrorum emendatio, indulgente FRIDERICO I. coepta, feliciſſimis tandem CHRISTIANI III. auſpiciis conficeretur.

Hunc CHRISTIANVM quum nomino, AA. commoueor religioſa quadam veneratione, nullusque dubito, quin ſanctum illud nomen eumdem in veſtris animis pietatis ſenſum excitet. Adeo ſunt omnia in illo Principe auguſta, et humana indole maiora, vt, niſi multis probari indiciis poſſet, fuiſſe inter mortales, qui inſigni quodam diuini Numinis adflatu ad magnas res gerendas ferrentur, vel hoc exemplo oſtendi illud liquido, omnisque dubitatio tolli queat. Nihil non

conabantur qui a puriori doctrina, cuius ille auctor et suasor fuerat, auersi, potentiae suae metuebant, si CHRISTIANVS rerum potiretur, quo eum, in summas capitis fortunaeque dimicationes coniectum, a paterno regno excluderent. Verum enim vero sustentabat diuinum Principem animus fortuna maior, insidiarumque contemtor, et fiducia in Deo collocata, qua ad optimam emendandi cultus diuini spem erectus omnes omnium insultus fortissime superauit. Itaque quo anno sollemni inaugurationis ritu imperium susceperat, eodem etiam auspicatum illud et vniuerso orbi christiano saluberrimum consilium et exsequi feliciter coepit, et felicissime propemodum perfecit.

Quae et quanta exinde ad Daniam commoda redundauerint, quibusque incrementis quasi gradibus ad maiorem in dies laetioris fortunae vsum adscenderit, vix potest abs quoquam satis digne existimari. Cessabant motus domestici, quibus misere adflicta et perturbata fuerat Dania, et qui tanto grauius ac diuturnius regno exitium minitabantur, quanto sunt irae, quae religionis caussam praetexunt, reliquis omnibus vehementiores. Non reprimebatur paullisper, sed in perpetuum comprimebatur effrenata Antistitum cupiditas et impotens libido dominandi, qua stimulati, vel omissa ac neglecta sacrorum cura, ad se trahere summam imperii, vel ipsa sacri muneris vi et auctoritate quasi armati, infringere ac debilitare Regum regnique Procerum potestatem conati adhuc fuerant. Quibus ab iniusto illo licentiae regno deturbatis, constitutis

tutis autem, qui commiſſum ſibi coetum doctrina ſalutari impertire, quam imperio regere mallent, ſecutum eſt illud, vt expeditior ad Regem adminiſtrandi ex ſalute publica regni facultas perueniret: neque hoc ſolum, verum, quod maxime rem cauſſamque continet, auctas vidit Rex praeclaris accesſionibus redituum publicorum rationes, quorum maximam partem, turpisſimo quaeſtu, rapax iſta natio abſtulerat. Addo hiſce bonis poſtremum, quod neſcio an primum putem, ſurgentem laetius artium litterarumque florem: quae, vti in aliis Europae partibus viam reducendae religioni puriori munierunt; ita apud nos ex emendatis demum ſacris effloruerunt, et poſtea, quaſi auguſtioris conſciae originis, numquam ſibi a profanorum hominum bonisque male abutentium temeritate maculas inuri paſſae ſunt.

Haec tam inſignia, tam diuina religionis verae commoda quanto ſtudio et labore per CHRISTIANVM noſtrum parta erant, tanta opera ac diligentia, tuenda et propaganda fide, ab illis, qui eum ſecuti ſunt, Regibus aucta fuerunt et amplificata. Qui omnes, ſacrae quam induerant perſonae memores, ſuo ſibi iure vindicatam ſupremam ſacrorum curam adeo religioſe ſuſtinuerunt, vt non ea tantum ſedulo auerterent, quae palam et aperte ſaniori doctrinae detrimenti aliquid allatura putarent, ſed ab iis etiam ſibi cauerent, quae vel minimam periculi ſuſpicionem mouerent. Quod quum ſaepe alias, tum vero maxime apparuit quo tempore FRIDERICVS II. formulam illam,

qua tamquam ſacramento ad concordiam in doctrinis doctores ſuos Saxonia adigebat, propoſito edicto, induci abs quoquam vetuit eo nomine, quod, quum liber errorem damnaret, a quo immunis eſſet Dania, fieri facile poſſet, vt non tam prohibere, quam monere videretur. Hinc illa Daniae noſtrae perpetua fere in rebus ſacris tranquillitas; hinc admirabilis et exterorum quoque vocibus laudata noſtrorum diuini iuris interpretum in tradendis et explicandis Dei oraculis concordia. Religio enim apud nos tamquam in munita quadam arce collocata, neque ſibi ab impiorum hoſtium, qui gigantum more vel contra Deum pugnare audent, nefario conatu vmquam timuit; neque quidquam detrimenti accepit ab illo grege inſpiratorum hominum, qui, neſcio qua ſanctitatis venditatione fictaeque pietatis ſpecie, labefactare rectioris doctrinae fulcra enituntur. Itaque quum in fatali illo, qui Germaniam omnem concutiebat, armorum ſtrepitu, pro aris focisque pugnandum eſſet Saxoniae inferioris ordinibus, non alium ſibi ducem et imperatorem elegerunt, cui grauiſſimum bellum committeretur, quam CHRISTIANVM IIII. quem acerrimum religionis defenſorem et vindicem fore non vano ſibi augurio perſuadebant. Quid illud? quam praeclarum ingeneratae Regibus noſtris erga Deum reuerentiae documentum putabimus, quod FRIDERICVS IIII. non vltra Danicum orbem, ſed vltra ipſos Europae fines propagandae religionis ſtudium porrexit? quod in remotiſſimas regiones, ad orae Malebaricae incolas

miſit,

miſit, qui barbaram gentem, et antiquae ſuperſtitionis tenacem fidei noſtrae myſteriis imbuerent, ac ſacratisſimam ſeruatoris crucem, tamquam ſignum aliquod ſalutaris militiae, in ipſis Indiae litoribus tollerent? O admirandum piae liberalitatis exemplum! exemplum ſempiternis laudibus concelebrandum!

Fieri non numquam ſolet, AA. vt qui foris noua ſibi decora pariunt, parta domi ornamenta amittant, vel certe in illis tuendis aliquanto appareant remisſiores. Quod cum in omni genere rerum agendarum detrimenti plenum eſt; tum vero in religionis et fidei negotio incommoda et pericula adfert longe grauiſſima. Neque enim ibi priuatae quorumdam ciuium vtilitates in dubium veniunt; ſed publica hominum ſalus in diſcrimen vocatur: neque huius bona vitae fortunae permittuntur; ſed res omni lucro potior, vnde aeternae felicitatis ratio pendet, praeſentisſimum in periculum deducitur. Eo adcuratius prouidit ſanctisſimi Princeps exempli, CHRISTIANVS VI. cuius ipſo nomine ſummae et ſanctimoniae et beneficentiae memoria renouatur, eo igitur adcuratius prouidit, vt ne, dum paterna in populos Indiae beneficia auƈturus, nulli nec curae nec labori parceret, quidquam praetermiſiſſe videretur, quod ad redintegrandum extollendumque in Dania ſua diuini cultus ſinceraeque et verae ſanƈtitatis ſtudium pertineret. O diuina pietas, quid non effeciſti, vbi purum caſtumque Regis animum, tua illa caeleſti virtute allecƈtum, ſanƈto tibi foedere deuinxeras! Tuo ille

admonitu impulſus libros, quibus ſummi Numinis reuelatio continetur, non ad auctoritatem verſionis alicuius, quod olim factum ſcimus; ſed ad ipſam diuini oraculi fidem, vertendos curauit. Tuo hortatu, et doctrinae caeleſtis rudioribus, per omnes coetus praefecit, qui ſolida eos fidei noſtrae initia, adcommodatis ad illud conſilium libellis, docerent; et prouectioribus, ad animi religioſi exercitationem, praeſtantisſimum ſacrorum canticorum corpus in manus tradidit. Tua voce confirmatus, nonnulla, quae in ſacris ritibus, quae in ipſa ſalutari initiatione inualuerant, piisque mentibus eſſe offenſioni poterant, prouidentisſime ſuſtulit: cauponas denique, compotationes, et id genus alia, quibus profanabant dies feſtos maleferiati homines, in ordinem redigi, immo vbicunque fieri potuit, tolli omnino iuſſit. Poſtremo, quod vel omnibus tam laudandis ad tuenda amplificandaque indies ſacrae rei publicae ornamenta inſtitutis anteferri debet, quo legibus vim adderet, ipſe nomine et factis vere Chriſtianus, pulcherrimum in quod intuerentur populi pietatis religionisque exemplar fuit, et, quatenus mortalium natura hanc laudem meretur, omnibus ſuis numeris ac partibus perfectum expletumque.

Accepiſtis adhuc, AA. OO. OO. HH. vel potius in memoriam redegiſtis, oratione mea commoniti, haud ignorata vobis gentis Oldenburgicae in verum Numinis cultum, hoc eſt in rem omnium praeſtantisſimam, officia et promerita. Recte enim ac iure

primo

primo loco de illis ornamentis et laudibus expoſiturus videbar, quae veluti ſemina ſpargerent reliquo virtutum prouentui, quibusque perceptis ad eas mente et oratione perſequendas aditus pateret. Quodſi nobile illud veteris ſapientis dictum, tum demum res publicas fore beatas, quum aut regnarent philoſophi, aut Reges philoſopharentur, ipſo vſu et experimento comprobatum legimus: quaenam regnatricis prudentiae ſpecimina ab illis Regibus exſpectabimus, qui timore Domini, vnde omnis verae ſapientiae initium et origo, ad auguſtiores animo concipiendas imperandi artes exſuſcitati, toto pectore omnique cogitatione in rem publicam ex praeſtantiſſima illa forma inſtituendam regendamque incumbunt? Qua illi fide et integritate commiſſum ſibi a ſummo rerum gubernatore, cuius ſe vicarios ſciunt, imperium adminiſtrabunt? Quo illi conſilio ciuibus iura, leges, mores deſcribent? Qua iuſtitia et aequitate naſcentes quotidie in iſta hominum multitudine indoleque diuerſa cauſſas, lites, controuerſias diriment? Qua prouidentia futuris illi rebus conſulent? Quibus denique virtutibus efficient, vt in omni temporum fortunaeque varietate retineatur ſalus publica, confirmetur, augeatur?

Quod poëtae non numquam, in ipſo medii operis curſu ad maiorem rerum ordinem delati, facere ſolent, vt noua ſibi a Muſis auxilia centum linguas totidemque ora exoptent: illud mihi nunc crederem eſſe faciendum, ſi quid vota iſta iuuarent. Quam vellem, ea mihi ineſſet felicioris facultas ingenii, vt

HEROVM noſtrorum imagines non primis lineis adumbrare, ſed auguſtis ſuis et expreſſis decoribus ſiſtere vobis poſſem! cerneretis, AA. cerneretis, quam pulchre auguſtam illi et diuinam effigiem redderent Regum eorum, quorum modo partes potioraque munera deſcripſi. Neque vererer, ſi qui in pulchra facie naeui occurrerent, eos libere ingenueque oſtendere. Permittit enim Fridericiani ſaeculi felicitas, permittit FRIDERICI noſtri indulgentia et generoſa indoles, veritatem ſine adulationis obſequio proloqui. Veſtra interim in me audiendo benignitas, veſtra humanitas ſpem mihi facit, fore, vt ſi imperfecta reliquero tantarum imaginum lineamenta, vos reliqua cogitationibus veſtris ſeruata ipſi informetis et adiungatis.

Publicam vniuerſi alicuius populi ſalutem et felicitatem, quatenus ab imperantium arbitrio pendet, quum reputo mecum paulloque attentius conſidero, in omni virtutum complexu, quibus illa ſalus continetur, nulla me virtus Iuſtitia magis allicit, et quaſi ad ſe rapit. Haec reliquarum omnium princeps et regina, quae bona ceterae ſingulatim ſpondent, ea omnia collecta et colligata vno vinculo praeſtat; illo ſane vinculo, quo delicias omnes ac ſuauitates coniunxiſſe dicitur Venus Homerica, multis partibus excellentiori. Etenim ſi ſocietas hominum ſancta ſeruatur, communique conſulitur vtilitati; ſi contrahendis negotiis adhibetur fides; ſi munera et honores non ambitui et prenſationi, ſed dignitati et meritis committuntur; ſi milites, duces, ſuo quisque officio fortiter

ac

ac ſtrenue defunguntur; ſi pax conficitur aequis conditionibus: ea omnia vni iuſtitiae tribuenda atque imputanda ſunt. Iuſtitia eſt, qua ad ſimilitudinem diuinae naturae propius accedimus. Iuſtitia non tantum Reges; verum magnos et ſingularis exempli Reges efficit. Neque enim illud iudicium, quo hominem homini praeſtare cenſemus, ad ſummam Regum Principumque dignitatem, qua nihil inter mortales auguſtius habetur, adcommodari non poteſt; neque eorum impedire ſplendor debet, quo minus contentis eos oculis intueamur. Docet malorum Principum aduerſaria grauiſſima, Hiſtoria, dari plebem in altiſſimo ordine, eſſe vel inter Principes, qui dedecori ſint non ſuis tantum maioribus, ſed generi humano. Quot, quaeſo. Imperatores, quot Reges legimus vel nulla virtute illuſtres fuiſſe, vel multis etiam et nefariis ſceleribus coopertos? quorum curſus vitae ad tuendam ſolum temporis ſeriem pertineat; quorum res geſtas iisdem de cauſſis litteris vel memoriae mandatas dixeris, quibus eluuiones fluminum, quibus incendia, quibus alia hominum regionumque detrimenta ad poſteritatem transmittuntur. Qui tamen omnes, ſi vel vmbram ſpeciemue habuiſſe iuſtitiae videantur, ſuos non numquam laudatores reperiunt.

Haec virtutum domina et procreatrix, iuſtitia, quae tantis ſe et tam infinitis laudibus commendat, aut nullibi terrarum naturali ſua pulchritudine conſpecta fuit, aut certe in Dania et in auguſtis Gentis Oldenburgicae imaginibus ſingulari quadam et admi-

 rabili

rabili virtute exſplenduit. Ita enim Dea haec non adiuncta ſolum Regibus noſtris, verum etiam propria et hereditaria fuit, vt, qui eam diſceſſiſſe a terris, et vel nulla omnino, vel exigua ſui veſtigia reliquiſſe volunt, tot poſſint teſtibus falſae opinionis conuinci, quot ex Domo auguſtiſſima Reges prodierunt. Iuſſerim ego eum, qui magnificentius illud quam verius dici putauerit, inſpicere ipſa rerum geſtarum monumenta: iuſſerim, totam regiminis rationem et formam, vel poſt adſerta ſingularis potentiae ſummaeque Maieſtatis iura, diligentiſſime cognoſcere: iuſſerim in primis aequiſſimas leges expendere, quibus vtrumque regnum, vtraque res publica, tam ſacra, quam ciuilis, ingens hominum ex diuerſis gentibus ad vnam imperii ſalutem coniuncta multitudo tot annos et feliciter temperata fuit, et feliciſſime etiam amplificata. Atque vt vno quaſi obtutu diuina haec iuſtitiae, aequitatis, prudentiae imago conſpiciatur, iuſſerim vel ſolius FRIDERICI III. imperium ratione animoque luſtrare, et in hoc Rege viuum illud ac ſpirans excelſae virtutis ſimulacrum intueri, eo praeſtantius, eo magis admirandum. quod ſuo fulgore enitet, et a nullo regnatricis gloriae conſiliorumque ſocio aliquid coloris adſcitii mutuatur. Eum ſiue priuatim ac remota, quae Reges ſtipare ſolet, ambitioſi comitatus pompa; ſiue publice, in ſplendidiſſimo regiae fortunae maieſtatisque apparatu, contempleris: magnum ſemper, et vſquequaque auguſtum, ſemper conſentaneum ſibi, eumdemque reperies. Oſtendunt illum,

illum, et Principem post hominum memoriam sapientissimum probant constituta tribunalia variique generis collegia, quorum procuratione regnum, denuo conditum, ea cum dignitate et auctoritate breui adoleuit, quam vix aequo animo vicini populi ferrent. Declarat ipsius, prouidentissimi legislatoris, curam, corpus illud iuris Danici, quod eius consilio digestum iussu postea CHRISTIANI V. prodiit, et hoc ipso anno, FRIDERICO V. auspice, longe auctius ornatiusque edi coeptum, tam luculenta continet iustitiae prudentiaeque specimina, vt, quod de antiquo duodecim tabularum libello relatum legimus, verius de hoc nostro legum corpore dici confirmarique queat, illud bibliothecas omnium philosophorum, si quis legum fontes et capita viderit, et auctoritatis pondere, et vtilitatis vbertate superare.

Cuinam igitur mirum videbitur, felicitatem Daniae continuis auctibus cumulatam fuisse, quum ei Domus glorioſissima numquam non suffecerit salutis publicae statores et vindices, qui maiorum gloriam non retinuerint tantum, sed et nouis semper ornamentis illustrauerint? Vnum mihi heic CHRISTIANVM II. opponere fortassis quispiam possit. Verum de hoc Rege quemadmodum facile concesserim, non impleuisse eum virtutis Oldenburgicae mensuram: ita illud, credo, constat, dedisse iuuenem, quum Norwegiam pro Rege gubernaret, multa virtutis bellicae documenta. Leges vero, quibus ciuitatum regni commercia, hoc est firmamenta et praesidia

felicitatis ſtabilita voluit, quibus nauigantium commodis proſpexit, quibus naufragorum labori et iacturae conſuluit, adeo ſunt illae laudabili conſilio ſancitae, vt magnam iuſtitiae, nihiloque minorem aequitatis declarationem exhibeant.

Nolite iam exſpectare, A. A. vt, qua reliqui Reges noſtri fide ac religione pacis bellique iura adminiſtrauerint, adferendis cauſſis et exemplis, exponam; vt recenſeam foedera et pactiones, quibus publicam ſalutem deuinctam tenuerunt; vt, ſummam eorum in ferendis legibus ſapientiam, in tuendis aequitatem oſtenſurus, vel ad ipſa ſanctioris conſilii limina accedam confidentius, vel nobile illud itineris genus perſequar, quo regiones ſuas et ciuitates obire, conuentus agere, audire voces litigantium, libellos ſupplices legere, cognoſcere cauſſas, ius denique dicere ipſi Reges ſolebant. Ampliora ſunt haec argumenta ac grauiora, quam vt vna oratione comprehendi, et a mei ordinis homine, ſuaeque memori tenuitatis, pertractari omnino queant: neque meae in Domum Auguſtam pietatis eſt, diuinas illas laudes, et tacita potius religioſaque mente, quam ſermone inculto complectendas, ingenii culpa deterere. Feſtinat praeterea animus ad reliqua, et vitae meae inſtituto aptiora, et huic, qui mihi ad dicendum patet, loco coniunctiora. Muſarum me delubra vocant, noua laudis Oldenburgicae, noua auctae per eam felicitatis monumenta.

Lon-

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1859941990/phys_0026
DFG

Longior videri vobis poſſem, AA. OO. OO. HH. ſi, adhibita opera cauſſisque altius repetitis, docere apud vos ſuſtinerem, niſi litterarum artiumque ſtudiis excultum et ornatum, felicem haberi populum nullum poſſe: ſi deinde probandum mihi ſumerem, ea litterarum praeſidia et ornamenta tum vero comparari et augeri, quum ſummorum imperantium principumque rei publicae liberalior in ea ſtudia voluntas ſe proferat, quum eorum munificentia excitati artium diſciplinarumque cultores ad ſumma quaeuis incumbant. Per mihi iucundum foret, hac orationis opportunitate celeberrimas illas aetates Principum dicam, an ingeniorum prouentu feliciores? grata commemoratione recolere, illuſtremque earum in Dania noſtra imaginem repraeſentare. Percurrere Graeciam, litterarum patriam, et praecipue Philippi Alexandrique liberalitate fecundum artibus ſaeculum perſequi: pergere in Latium, exſurgentem ibi Caeſaris et Auguſti beneficiis ingenuarum artium florem admirari: oſtendere deinceps, quemadmodum quae emortua quaſi et ſepulta, inertia hominum, iacebant litterarum ſtudia, reuocata in vitam fuerint magnorum virtute Heroum, et per omnes cultioris Europae regiones laetiſſimis auctibus amplificata: pleniori denique ore praeclarum Galliae principatum, clariſſimum illud ſaeculum Ludouicianum laudibus extollere. Sed verendum eſſet, ne ea ſi vberius perſequerer, diuerticula quaeſiuiſſe viderer, et ſterilitate quadam patriae noſtrae ductus, fertiliores Muſarum campos, vbi

oratio mea hac quidem parte excurreret, circumſpexiſſe. Nimis perſpecta mihi ſunt, nimis omnibus cognita nominis Danici in litteras merita, quam vt eiuſcemodi conſilium vel ego mihi ſuſcipiendum putem, vel cuiquam me credam probaturum.

Redarguerent me, et domum reuocarent profecta a Regibus noſtris in bonas artes earumque cultores infinita prorſus beneficia. Redarguerent tot Maecenates Danici, qui cum primo illo nominis huius auctore de tuendis litteris certauerunt, atque etiamnum certant. Redarguerent tot, quae Danorum ingenio, Danorum induſtriae debentur, laudanda in nullo non genere litterarum monumenta. Valeant, valeant illae voces obtrectatorum noſtraeque laudi inuidentium, qui ſeptemtrionali populo neſcio quid innatae tarditatis obiiciunt, quin naturam, quaſi frigore ipſo languentem et effoetam, nihil laudabile admodum parere apud nos clamitant. Nequaquam frigidioris caeli natura impedit, quo minus erectiora ingenia, ſuis igniculis ad praeclara quaeuis exardeſcant, vbi benefico Regum Principumque numine fouentur. Quid? quod longe ante, quam vel Italia vel Gallia, diſcuſſis ignorantiae tenebris, lucem tandem litterarum adſpiceret, ſola fere Dania, Waldemarorum tempore, ingeniis floruit, quae Eloquentiae Romanae, quae Hiſtoriae, quae Poëſeos cultu cunctis Europae populis facile antecellerent: quod litterata Danorum virtus celeberrimam ſcholam Pariſienſem adeo cepit, vt ſemel atque iterum Rectorem ſibi ex

noſtra

noſtra gente adſciſceret: quod ſeptemtrionibus etiam vicinior Islandia praeſtantes tulit animas, et quae nihil ex niualis patriae ingenio frigoris traherent.

Priſca haec Daniae eruditae ſtudia mirabile dictu eſt, quo impetu creuerint, quibusque acceſſionibus aucta fuerit res litteraria, ex quo eam in fidem et clientelam, vna cum imperio ſapientiſſimi Reges Oldenburgici receperunt. Inſitum erat Heroibus noſtris, fauere ingeniis, protegere homines doctos et eruditos: neque fieri potuit, quin qui recta populum religione imbuerent, qui legibus eum ac moribus prudenter deuincirent, illi alumnas etiam bene conſtituti imperii, artes liberales, eadem cura eademque caritate complecterentur.

Ad vberrimum orationis meae locum me peruenisse ſentio, ſi potiores heic laudes recenſere ac pertractare aliquo modo deberem. Laudandus mihi eſſet CHRISTIANVS I. conditor Academiae Hafnienſis: laudanda IOANNIS in tuendo paterno munere diligentia: in primis vero ſingulari quadam praedicatione adficiendus CHRISTIANVS ille, qui, emendandis ſacris, inſtituendis vbique ſcholis inferioribus vniuerſam litterarum diſciplinam noua forma indutam incredibiliter ornauit, qui ſuis in ipſam Academiam beneficiis conſequutus eſt, vt eius non amplificator tantum, verum alter etiam conditor et parens habeatur. Quo poſtea verborum honore collaudandi forent, qui, hiſce quaſi fundamentis nixi, praeclariſſimi operis exaedificationem perfecerunt FRIDERI-

CVS II. et CHRISTIANVS IIII? quorum alter quidem litteris bonisque artibus aetatem vere auream, et illis quae ſupra ſunt a me commemorata ſaeculis haud imparem praeſtitit: alter vero, praeter cetera benigne munificeque conſtituta, noua Muſis domicilia, Academiam Soranam, ac Gymnaſium Othonienſe excitauit. Nimirum nouerat prudentiſſimi Rex animi, et qui ipſe omni ingenii cultu imbutus eſſet, conuenire adoleſcentibus ad aulae vel militiae decora praeparandis peculiarem quamdam diſciplinam: arbitrabatur, id quod res eſt, publicae vtilitati conducere, reliquos iuuenes in media quadam inter ſcholam et Academiam palaeſtra ante exerceri, quam ad capeſſendum interioris et reconditae ſcientiae cultum admitterentur.

Magna ſunt haec, ac prorſus inſignia prolixae in ſtudia voluntatis regiaeque munificentiae documenta: et tamen multa ſuperſunt ab inſequutis Regibus profecta, quae minime illis vel magnitudine beneficii, vel ſplendore conceſſerint. Permanſit enim illa gloria Auguſtae Domui gentilitia, vt aleret artes, vt vindicaret incrementa elegantioris diſciplinae, vt non ciuium tantum ingenia excoli liberalis doctrinae ſtudiis vellet, ſed ipſos etiam natos in ſpem regni Principes ſeuera lege erudiri.

Eluxit in primis virtus iſta Oldenburgici ſanguinis et heroicae inſtitutionis praeſtantia in FRIDERICO III. adeo quidem, vt, ſi vel nullum alium ex Academia equeſtri Sorana fructum percepiſſet orbis

orbis litteratus, quam quod illa hunc FRIDERICVM educaſſet, immortalibus ſe beneficiis adfectum fateretur. Proditum memoriae eſt et multorum teſtimoniis confirmatum, praebuiſſe aulam FRIDERICI perfugium omni litterarum artiumque generi: aduenisſe ex longinquis regionibus viros eruditionis laude praeſtantes, ſingularis ingenii artifices, qui vel propius venerari Regem eruditiſſimum cuperent, vel eius liberalitate adiuuari, neminemque vmquam ſuſcepti itineris poenituiſſe. Quam vero indulgenter, quam honorifice doctores publicos, qui tum Athenas Hafnienſes ornabant, habuerit, teſtes ſunt lauta ſtipendia, quibus animos ab ignobili rei familiaris cura, qua vel optima ingenia deprimuntur, ad vnicum eruditae gloriae ſtudium traduxit: teſtis eſt inuſitata humanitas, qua et conuiuio ſaepius aduocatos interiori quadam amicitia complecti nullus dubitauit, et ipſe eorum circulis differentium lubentiſſime, ac ſine vllo minuendae maieſtatis metu, viſus eſt intereſſe. Accepit deinde Hafnia CHRISTIANI V. auſpiciis nouum decus, ſcholam equeſtrem. Quam quum FRIDERICVS IIII. prout tempus et publica vtilitas ſuadebat, Martis quam Mineruae vſibus magis accommodaret, non ideo alieno a Muſis animo fuiſſe, earumque ſacra parum religioſe coluiſſe putandus eſt Rex clementiſſimus; quae vel inter arma ſine triſtioris fortunae interpellatione tuta ſemper, et pacata heroico animo praeſtitit. Iam de diui CHRISTIANI VI. in ſanctiores humanioresque litteras beneficiis

ſatius duco ſilere, quam pauca minimeque cum rebus exaequata dicere: praeſertim apud nos, vbi huius Chriſtianei parietes ipſi loqui mihi videntur, vbi grata pietas ſanctum Conditoris nomen ad immortalitatis et religionem et memoriam dudum conſecrauit.

Saluete, O AVGVSTI CAELOQVE RECEPTI HEROES! quorum pietati, iuſtitiae, ſapientiae illa ſalutis, illa confirmatae incolumitatis incrementa poſt Deum maxime debentur. Gratulamur Vobis, ſummo inter mortales munere glorioſiſſime defunctis, laudem veſtram et nominis famam ſaeculis nullis intermorituram. Viuitis adhuc, et ſpiratis, et poſteritati conſulitis in DIVINA PROLE, quae veſtras virtutes, veſtra in Daniam merita inſtaurabit perpetuo, et ornatiora reddet. Viuitis in CELSISSIMIS DVCIBVS Cimbriae, et in illo AVGVSTO PARI PRINCIPVM, qui, Veſtrae maieſtatis aemuli, ingeneratam ſibi a Vobis regnandi prudentiam, apud florentiſſimos populos noua imperantium ſerie propagabunt. Viuitis in POTENTISSIMIS EVROPÆ, qua patet, chriſtianae DOMINIS, quorum, hoc certe tempore, nemo eſt, quin Vobis ſanguine coniungatur.

Tenui orationis genere, et dignitati tantorum munerum parum conſentaneo commemoraui, AA.HH, auctam per REGES OLDENBVRGICOS Daniae felicitatem. Liceat mihi in ſumma rerum copia eſſe breuiori, quod ipſe ſenſus praeſentium bonorum, quo perfundimur, vberrimam argumenti mei declarationem praefert; quod ipſa vox laetitiae publicae, illud

accla-

acclamantium congratulantiumque certamen fortunam noſtram quouis ſermone diſertius luculentiusque demonſtrat. Auget enim illud potiſſimum felicitatem, quam praedicamus, quod non tam anteacti temporis recordatione patrumue noſtrorum memoria continetur, quam ad nos pertinet ipſos, et adeo nobis propria eſt, vt poſteris etiam futuraeque aetati augeſcentes in dies ac perpetuas laetandi cauſſas vere poſſimus augurari.

Da veniam piae illi laetitiae, FRIDERICE QVINTE, REX AVGVSTISSIME, vt, Maiores Tuos venerabundo mentis cultu proſequuti, ad TE, ea cum fiducia, quam IPSE excitas, adeamus, TIBI felicitatem publicam, TIBI gaudia noſtra commendaturi. Non poenitet nos votorum, quae pro TVO imperio ſub ipſa regiminis auſpicia, in hoc doctrinae ac virtutis templo nuncupauimus. Non fefellit augurium, quod ex TVA diuina indole cepimus. Noueramus in TE transductas excelſas Auorum, et vere Oldenburgicas, virtutes. Cognoſcimus ipſo vſu et experimentis, nulla poſſe ſaluti noſtrae tam magna, tam ampla incrementa proponi, quae non abs TVA, pro omnium ſalute excubantis, indulgentia impetraturi videamur. Macte iſta generoſa animi contentione! Macte nouis prolixae TVAE beneficaeque naturae documentis! Tendunt TIBI, PRINCEPS POTENTISSIME, ſupplices manus Muſae Chriſtianeae. Iube TVO numine confirmatas, TVA pariter munificentia augendas eo tandem cultu exſurgere, quem et mirifica ingenii doctrinaeque TVAE ornamenta ſpondent, et ſaeculi TVI gloria poſcere videtur. Vivas, FRIDERICE, PIE, FELIX, PATER PATRIAE! Perfruaris noſtris omnium votis! Pergas quam diutiſſime, quod facis,

 ſanctas

ſanctas Maiorum imagines TVIS virtutibus illuſtrare, et poſteris praeferre TVAM, quam intueantur, quam ſuſpiciant, quam aemulentur!

Nihil aliud iam reſtat, Auditores, quam vt ad Deum ter optimum maximum, cui heſterna ſupplicatione vota noſtra piis ac religioſis precibus commendauimus, conſociata iterum pietate conuertamur. Tibi itaque, AETERNE RERVM ARBITER, auctor et conſeruator imperii Danici, tibi immortales agimus et habemus gratias. Tuum eſt, quod Regna haec optimis Regibus vſa, vera religione, praeclaris legibus, litterarum diſciplina, ab exiguis initiis ad tantum decus adſcenderunt: quod a trium ſaeculorum periculis inconcuſſa ſtetit Maieſtas Oldenburgica: quod nulla eam ſolitudinis, nulla orbitatis calamitas oppreſſit: quod hicce dies in illa felicitatis commemoratione, in tanta ſpe continuandae ſalutis agi a nobis, ac celebrari poteſt. Tuere, O DEVS BENIGNISSIME, tuere haec tua munera! Protege ac confirma deuotam tibi ſtirpem auguſtam! Fac, aeterna progenie perpetuet, amplificet commiſſam ſibi Daniae felicitatem! Serua nobis FRIDERICVM noſtrum, et Maioribus ſuis publice priuatimque feliciorem praeſta. Serua, eiusque ſimillimum olim redde tenellum Principem CHRISTIANVM! Serua AVGVSTISSIMAM LVDOVICAM, fortunatam, fecundam patriae matrem! Iube, ſaluam et incolumem eſſe vniuerſam GENTEM REGIAM, eamque florentiſſimis porro cognationibus et adfinitatibus auge! Denique ALME PATER, ſerua nobis iucundam illam, et amabilem, qua iam pridem fruimur, pacis vſuram. Quam ſi quis furor impetusque hoſtilis infringere et conturbare auſus fuerit, fac, vt noſtris illa victoriis atque triumphis reparetur ac ſtabiliatur. O ita, DEVS, velis, ita iubeas!

ODE

ODE
SAECVLARIS
AD
LEGES NVMEROSQVE
TELEMANNIANOS
INTER
CONCENTVS MVSICOS
DECANTATA.

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1859941990/phys_0035
DFG

ODE
SAECULARIS
AD
LEGES NUMEROSQUE
TELEMANNIANOS
INTER
CONCENTUS MUSICOS
DECANTATA

Maiora ſuetis, ALBIADAE, modis
Dicamus, illo digna cani die.
Arcete vulgus! plectra ferte
Auſoniis ſocianda chordis.

Iam mente, io! io! euehimur noua
Velociores. Vt calet impetus!
Deuoluimus feſtas tuos iam
Per numeros, Venuſine, voces,

Pio Quiritum pectore conſcii
Felicitatis. Legitimis quidem
Nec FRIDERICVS Caeſari impar,
Dania nec Latio triumphis.

Vos, luctuoſae cladibus hoſtium
Claraeque lauri! cedite, cedite!
Innexa palmis ſtirps quietis
Nobilior viget alta Regum.

Saluete! trinis lucida ſaeculis
ALTERNA DIVVM SANCTAQVE NOMINA.
Saluete! veſtro aeui ſequentis
Sidere lux radiata fulget.

Per VOS dicatae, luminibus ſuis
Arae Sionis latius emicant:
Ipſique vel Seres, vel Indi
Tura ferunt numeroſa flammae.

Per VOS ſeueris patria moribus
Pro lege paret: deinde nitentior,
Et mitiori laeta cultu,
Ingeniis ſtudiisque ſurgit.

Hinc illa noſtris otia, gaudia,
Hinc ſpes Camenis. Adſtrepit en! pater
Albimus. En, Nymphae iocoſas
Ore animant modulante conchas.

Modo aeſtuoſo vortice ſpumeus
Reddebat aucto carmina murmure:
En! leniori ludit vnda.
Nempe vacare parat loquenti.

O *plena laudum munera, munera*
Canenda Danis! non ea per ſacros
HVITFELDII faſtos repoſta
In veterum monumenta Regum:

Sed vera noſtri gloria temporis,
Exempla ſeris mira nepotibus;
Queis FRIDERICO digna proles
Ipſa fidem faciet perennem.

Quis fulgor illic limite candido!
Videtis? en, qua flammigerum micat
Recensque ſidus CHRISTIANI!
Fallimur, an Genius coruſca

Demittitur per nubila Daniae?
Quam geſtienti litora conſpicit
Arctoa lapſu! iam reflexis
Nomen amabile FRIDERICI

Edocta ſentit reddere luſibus.
Nunc te ſalutat, celſa palatiis,
At celſior complexa Regem,
Hafnia! plauſibus vt mouetur!

Quid numine iſtoc? annuit, annuit!
Plaudens choreis, credite, Cimbricis
Reſpondet. Auſcultate! laeuo
Intonat axe fragor per auras.

Agnoſcis omen, Dania? Cimbria,
Agnoſcis omen? fata bonis bona
Iungentur, OLDENBVRGIDVMque
Imperiis moderanda priſcis.

Praeſtabit HEROS *foedere ferias*
Longas paterno: ni proba ſuaſerit
Vindicta, victrices cateruas
Puluere nobilitare auito.

QVI FRIDERICO, REX HOMINVM AC PATER,
REGNAS SECVNDO! FAC, POPVLO DIV,
FAC, LAETVS INTERSIT, PIIQVE
DELICIVM PERAMET VOCARI!

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1859941990/phys_0040
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1859941990/phys_0041
DFG

XXXVI

Quid numine istoc? annuit, annuit!
Plaudens choreis, credite, Cimbricis
Respondet. Auscultate! laeuo
Intonat axe fragor per auras.

Agnoscis omen, Dauia? Cimbria,
Agnoscis omen? fata bonis bona
Iungentur, OLDENBVRGIDVMque
Imperiis moderanda priscis.

Praestabit HEROS *foedere ferias*
Longas paterno: ni proba fuerit
Vindicta, victrices aeternas
Pulvere nobilitare auro.

QVI FRIDERICO, REX HOMINVM AC
PATER,
REGNAS SECVNDO FAC, POPVLO DIV,
FAC, LAETVS INTERSIT, PIIQVE
DELICIVM PERAMET VOCARI!

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1859941990/phys_0043
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1859941990/phys_0044
DFG

Quid numine iſtoc? annuit, annuit!
Plaudens choreis, credite, Cimbricis
Reſpondet. Auſcultate! laeuo
Intonat axe fragor per auras.

omen, Dania? Cimbria,
A[illegible]men? fata bonis bona
Iu[illegible]OLDENBVRGIDVMque
Imp[illegible]oderanda priſcis.

Praeſtabit H[illegible] foedere ferias
Longas paterna[illegible]oba ſuaſerit
Vindicta, victr[illegible]eruas
Puluere nobili[illegible]to.

QVI FRIDERICO, R[illegible]MINVM AC
[illegible]ER,
REGNAS SECVNDO! FAC[illegible]LO DIV,
FAC, LAETVS INTERS[illegible]QVE
DELICIVM PERAMET[illegible]OCARI!

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1859941990/phys_0045
DFG